









v

Defectes Exemplar; es fehlt P. IV.



ax



821. 4. 000

BIBLIOTHECÆ ARABICÆ

P. VII.



DEO JUVANTE

P R Æ S I D E

D. CHRISTIANO FRIDERICO SCHNURRER

I N S T I T U T I

TERTIÆ CLASSI ADSRIPTO

N U N C

REGIÆ UNIVERSITATIS CANCELLARIO,
THEOLOGIAE PROF. PRIMARIO, REGIS CONSILIARIO,
PRAELATO, ET ECCLESIAE PRAEPOSITO
PRO OBTINENDIS MAGISTERII PHILOSOPHICI HONORIBUS

Septembr.

MDCCCVI

PUBLICÆ PROPONUNT

CHRISTOPH. FRID. GEROCK *Weilheimensis*

CAROL. GEORG. HÜTTEN *Spirensis*

FRID. LUDOV. SIGWART *Dagersheimensis*

CAR. HARTMANN. WEIGLE *Ludovicopolitanus*

THEOPH. FRID. KOEHLER *Stuttgardianus*

JO. CHRISTIAN. FABER *Jesingensis*

HENRICUS KORNBECK *Baiersbronnensis*

REGIS STIPENDIARII ET MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATI.

TUBINGÆ LITTERIS HOPFFERIANIS.

I. G. 1.





BIBLIOTHECA ABBATIS
 2. V. H.
 DIE BIBLIOTHEK
 D. CHRISTIANUS FRIDERICUS
 SCHUBERT

SPECIAL TO THE LIBRARY OF THE
 UNIVERSITY OF CHICAGO
 540 EAST 58TH STREET
 CHICAGO, ILL. 60637

CHRISTOPH FRIEDRICH SCHUBERT
 CAROL GEORG HUBER
 UND FRIEDRICH SCHUBERT
 GAB. HARTMANN VON WILHELM
 FRIEDRICH SCHUBERT
 LO. CHRISTIAN SCHUBERT
 MENNIG'S KÖNIGLICHES
 UND FÜRSTENLICHE BIBLIOTHEK
 TUBINGEN



IN *Korano* edendo, transferendo, refellendo multorum studia et conatus enumerare qui susciperent, haud omni tempore defuerunt. Nobis quidem ejusmodi argumenti hæc sunt cognita:

1. Spicilegium historico-philologicum historiam literariam Alcorani sistens, præside Zacharia Grapio, auctore Joachimo *Mantzel*. Rostochii 1701. 4. plagg. 3 et quod excedit.

Iterum edita est hæc dissertatio a Grapio unacum Ahmed ben-Abdalla Muhamm. Epistola theologica de libero arbitrio ad Dn. de Aquila scripta — Rostochii et Lipsiæ (anno 1706.) 4.

2. Dissertatio historico-philologico-theologica de speciminibus, conatibus variis, atque novissimis successibus doctorum quorundam virorum in edendo Alcorano arabico, præside Jo. Mich. *Langio* d. XVI. April. 1704 proposita Altdorfi. 4. pagg. 38.
3. Dissertatio hist. philol. theol. de Alcorani versionibus variis, tam orientalibus, quam occidentalibus, impressis et hactenus ἀνεκδότοις, præside Jo. Mich. *Langio* die XIII Jun. 1704 proposita Altdorfi. 4. pagg. 36.
4. Jo. *Buxtorfii*, s. linguæ in academia Basileensi professoris, de Alcorani editione arabica variis ejusdem versionibus dissertatiuncula, edita in Bibliothecæ historico-philologico-theologicæ Class. VI. fasciculo secundo, Bremæ, an. 1722. pag. 271 — 281.

Hisce nos adhibitis quæ ex hoc genere edita sunt, annorum ordine, non sola aliorum fide, sed ipsis, quantum fieri potuit, editis usi nunc enumerabimus.

1. Editio arabica, Venetiis facta, anno incertò.

Venetiis sæculo XVI. eoque nondum adulto Koranum arabicum typis editum fuisse, perpaucis nititur indiciiis testimoniisque. Erpenii alterum est, qui in Catalogo librorum arabicorum, Rudimentis linguæ arabicæ, Leidæ 1620. 8. addito, hæc tradidit. "Venetiis excusi. Alcoranus Arabice circa annum 1530. literis Arabicis: sed exemplaria omnia cremata sunt. Libelli duo Astronomici, caractere inelegante, in 8.º sed hi quoque rarissimi sunt, et haberi non possunt." Alterum cernitur in libro parum obvio, qui inscriptus est: Introductio in Chaldaicam linguam, Syriacam atque Armenicam et decem alias linguas. Characterum differentium Alphabeti circiter quadraginta et eorundem invicem conformatio. Mystica et Cabalistica quam plurima scitu digna. Et descriptio ac simulacrum Phagoti Afranii: Theseo Ambrosio ex Comitibus Albonesii J. V. Doct. Papien. Canonico Regulari Lateranensi ac Sancti Petri in Cælo aureo Papiæ Præposito, auctore. Anno MDXXXIX. 4. foll. 215. Subjunctæ sunt huic libro complures editoris et Guil. Postelli epistolæ mutuæ, in quibus fol. 200. b. exstat locus ille, quo Ambrosium rogat Postellus Parisiis, Italico sermone usus, velit omnem porro operam dare, ut resciscat ab eo, qui Alcoranum arabicum isthic impresserit, velitne typos suos venundare, se pretio cognito mox numos missurum, sibi enim admodum illis opus esse ad edendam suam Grammaticam arabicam librosque alios. Quibus sua subjunxit Ambrosius, hæc: "Omni interea studio, cura et diligentia non cessavi *Alexandrum Paganini Brixien-sis* filium, et qua potui etiam sollicitudine amicorum inter-ventu rogare non destiti, ut typos formasque punicarum literarum, quibus olim pater ejus Alcoranum impresserat, justo vellet Postello vendere pretio, quod cum facere jam jam paratus esset, et dum amicum ejus rei certiozem facere præparo, Libellum duodecim linguarum differentiumque literarum Gui-

lielmi Postelli publicatum conspicio." (Prodiit Postelli liber Parisiis 1538. 4.) Copiosius hæc exposita sunt a *Langio* in diss. de Alcorani prima inter Europæos editione arabica, ante sesquiseculum et quod excurrit, in Italia per Paganinum Brixiensem facta, sed jussu Pontificis Romani penitus abolita. Altdorf. 1703. 4.

Nuper prodiit De Corano arabico Venetiis Paganini typis impresso sub in. sec. XVI Dissertatio *Joh. Bernardi de-Rossi* prof. linguarum or. Parmæ ex Imperiali typographeo 1805. 8. pagg. 16. Celeberr. auctor pag. 12 "Binis hisce, ait, testimoniis tertium jam addimus hucusque doctis ignotum et a nobis — defectum, quod utroque luculentius rem definit. Extat illud folio 83 verso et 84 ejusdem *Thesei Introductionis*." Positum vero est in eo, quod Theseus Ambrosius, recitans locum ex Korano, et quidem, ut ipse profitetur, ejusdem *libro secundo*, subjungit hæc verba: "et cetera, quæ in quinto quinternione Alcorani typis impressi folio antepenultimo sequuntur" — Negamus quidem ignotum fuisse hoc testimonium. Videatur modo *Bosii* Introductio generalis in notitiam rerum publ. orbis universi. accedunt ejusdem dissertationes de statu Europæ. Jenæ 1676. 4. ubi dissert. III. de religionis et rei litterariæ statu in Europa. §. XL. pag. 338. hæc exstant: "Ante CXX minimum annos a Paganino quodam Brixiensi litteris Punicis, hoc est, Arabicis expressum esse (Koranum) scribit Theseus Ambrosius in appendice Introductionis in varias linguas Orientales Papiæ 1539 excusæ fol. 200. *qui et ejusdem Introductionis fol. 84. quædam ex quarto (sic) ejus operis quinternione adducit*." Et repetiit hæc verba primo *Tenzelius*, *Monatl. Unterredungen*, Novemb. 1692. pag. 918. deinde ex *Tenzelio* etiam *Langius*, dissert. cit. pag. 8. Sed largimur, Ambrosii illud testimonium, neque ipsum tamen immune a multis difficultatibus, efficere, ut dubitare nunc nequeas, Koranum arabice fuisse editum, vel edi coeptum. Neque vero id factum circa

annum 1530. quod Erpenius accepit, neque circa annum 1518. quæ est sententia celeb. De-Rossi. Etenim Paganinus de Paganinis Brixiensis, Alexandri pater, coepit libros excudere Venetiis anno 1485. teste Panzero, in Annalibus, et quidem Vol. quod inscriptum: *Conspectus Monumentorum* — — 1797. pag. 492. col. 1. et excudit etiam tres libros anno 1509. teste eodem, *Annal. Vol. VIII. pag. 395. 396.* sed quod ab ipso post ann. 1509. curatum sit opus cognitum est nullum. Quod ad illum refert Panzerus, *Itinerario di Lod. Bartema. Venezia. pel Paganini 1518. 8. Annal. Vol. VIII. pag. 444.* putamus Alexandro filio deberi, qui Venetiis libros excudere coepit anno 1513. *conf. Allgem. Literatur Zeitung, 1806. Num. 124.*

2. *Historia Josephi patriarchæ, ex Alcorano, arabicè, cum triplici versione latina, et scholiis Thomæ Erpenii, cujus et alphabetum arabicum præmittitur. Leidæ, ex typographia Erpeniana linguarum orientalium. 1617. 4. plagg. 18.*

Primum specimen arabici textus vocalibus signisque omnibus distincti ex typographia Erpenii nunc instructiore editum ineunte anno 1617. Est vero *Historia Josephi Sura Korani XII. versuum 111.* Copiose de libro refert Hirt, *Biblioth. VIII. pag. 297. (vid. num. 13.)*

3. *Suratæ unius atque alterius textum ejusque explicationem ex commentario quodam Arabe dogmata Alcorani, et verba maxima, minimaque, explicante literatæ genti ad felicius refutandum atque solidius dijudicandum de Versione tam Alcorani, quam Commentatoris Muhammedanæ religionis; speciminis ergò ponebat Johannes Zechendorff, Scholæ Cygneæ rector. Cygneæ. sine anno. 4. plagg. 3½.*

4. *Specimen Suratarum, id est, capitum aliquot ex Alcorani systemate Johann. Zechendorffi, ejusdemque tum ver-*

sionis, tum refutationis quâ Latinæ, quâ Arabicæ, ante aliquam multos annos institutæ: in Dei honorem, verbique ejus propagationem: nec non proximi, ut sunt pagani, Turcæ, Persæ, Mauritani, atque alii conversionis ansam: æquiss.º doctiss.º atque expertiss.º eruditorum judicio ac censuræ humillimè ab ipso interprete subjectum. Cygneæ. sine anno. 4. plagg. 5.

De utroque opusculo retulit Hirt, Biblioth. VIII. pag. 290. ante ipsum Baumgarten, Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek, 4 B. pag. 293 sq. Illud refert Sur. 101 et 103. hoc Sur. 61 et 78. Typi arabici ex ligno sculpti, deformes et horridi. Mirum profecto, in edendis arabicis tempus operamque voluisse perdere virum bonum ne typorum quidem quidpiam habentem, quem sane non poterat latere, ferre sua nequaquam posse, qui Leidæ excusa arabica oculis usurpasset. Exstant ejusdem auctoris opuscula duo alia,

Fabulæ Mvhammedicæ sive nugæ Alcorani, quæ in ejusdem Systemate integro (quod 114 capitibus constat) repertiundæ commemorantur. 1628. 4.

Eclogæ Mohammedicæ sive alcoranico-mohammedica arabica — Cygneæ. 1646. 4.

Sed illud certe nihil habet arabici sermonis: hoc autem nobis nunquam visum.

5. Prima tredecim partium Alcorani Arabico-Latini. Ubi textus Arabicus absque punctis sumtus, literis Latinis exacte expressus, et versio Latina parallela ita apposita, ut similis sit interlineari Bibliorum Ebraicorum B. A. Montani, ita positus vocibus textus et versione, ut unâ Masoram Alquorani Arabici exhibeant. Eum in finem etc. — Opera et studio *Christiani Ravii* Berlinatis. Cum duplici præfatiuncula, I. ad nobilissimos Amstelodamensis Gymnasii Curatores: de vastissimo Orientalis literaturæ campo, et usu. II. ad lectorem: de ratione versionis suæ parallelæ, et usu Arabici textus li-



teris Latinis ita expressi, ut Arabica absque punctis repræsententur. Quibus subjungitur Catalogus CCLXI voluminum Arabicorum Bibliothecæ D. Laurenti regis Hispaniæ. (Amstelod. 1646.) 4. plagg. 8.

Ferrarum quum dicitur hoc opusculum, visum est de eo referre distinctius. Præcipua ejus pars cernitur in plagulis quatuor posterioribus, quarum singulis paginis superne inscriptum: Ch. R. Berl. Specimen Alquorani Arab. Lat. Incipit hoc specimen Sura I et subsistit versu medio Sur. III. Arabica latinis græcisque litteris expressa, ratione tunc nova et singulari, haud prorsus absimili ab ea, quam haud ita pridem commendavit celeb. C. F. Volney, in Simplification des langues orientales, ou méthode nouvelle et facile d'apprendre les langues Arabe, Persane et Turque, avec des caractères Européens. Paris an III. 8. Ravió Elif = æ, Be = b, Te = t, Tse = T, Djim = c, Ha = H, Cha = x, Dal = d, Dsal = δ, Re = r, Ze = ζ, Sin = s, Schin = x etc. Vocalium nulla prorsus ratio habita. Veluti formula, bismi llahi, scripta est sic: bsm ællh. Alterum Ravii inventum, Masorethicum, positum est in hoc artificio, ut Korani voces redderet numerabiles. Igitur singulæ voces arabicæ, latine simul redditæ, positæ sunt abruptæ et separatæ, quaternis in unaquaque pagina columnis a summo deorsum legendis, quarum quælibet est vocum quinquaginta, ut ducentas pariter exhibere debeat unaquæque pagina; singulis quoque paginis in imo margine computatæ sunt voces eâdem littera incipientes, veluti æ 71. b 8. t 2. x 2. δ 1. r 4. etc. ut summâ omnium facta prodeat numerus 200. Plagularum itaque quatuor cum sint columnæ 128. vocum omnium summam habes 6400. Quæ his præmissæ sunt plagulæ 4 aliæ, multa promiscue exhibent. Epistolam ad gymnasii Amstelodam. Curatores datam Amstel. 16 Jan. 1646. uberem illam et copiosam pagg. 14 et quod excurrit, excipiunt litteræ ad Ravium ab Hottingero scriptæ Tiguri 27 Jul.

27 Jul. 1645. lectu non indignæ, at ab hoc loco alienæ. Sequitur dissertatio altera, ad lectorem, tripartita, 1. de ratione versionum latinarum. Videas hic interpositas litteras Jo. Fabricii, Gedano die 23. Dec. 1645. haud dissimulanter negantis, arridere sibi Specimen Alquorani secum communicatum. 2. de usu arabici textus literis latinis et partim Ebraicis, ita expressi, ut arabica absque punctis repræsententur: quo responsio ad præcedentis epistolæ objectionem continetur. additus est textus Koranicus, Sur. I. 1 – II. 80. litteris expressus Rabbiniis. 3. de Masora mea hujus Alquorani. adhæret epistola *Buxtorfii*, Basil. postridie Kal. Sept. 1645. qua sibi a Ravio commendatum negotium, conficiendi novas Concordantias, deprecatur. Atque hæc sunt trium plagg. priorum. Quarta, signata A, refert præter Catalogum codicum Bibliothecæ Laurentinæ, (quem exhibet etiam Hottingeri Promtuarium seu Bibliotheca Orientalis, Heidelberg. 1658. 4. in Mantissa.) versionem Sur. I et II latinam, continuam illam et expeditam.

Quid fere fuerit quod sectaretur Ravio, intelligitur ex dictis, quibus præfationis ad lectorem parti primæ finem facit. Sunt hæc: "Jacta sit alea. Si duodeni amici octonas schedas, „totidem, quot ego hic præsto, suis sumptibus in publicum „promovere velint, totum Alquoranum versum hoc modo, et „cum perfectissimo Lexico dare volumus. Ego frangere glaciem coepi. Et spero duodecim superesse ad minimum amatores." — Sed consilio eventus defuit, nec gravi admodum jactura. De *Christiano Ravio* vid. *Molleri Cimbria literata*, Tom. II. pag. 680 – 688.

6. Historia de Abrahamo, et de Gomorro-Sodomitica eversione ex Alcorano, ejusque Surata XIV^{ta} et XV^{ta} Arabicè e probatiss. Cod. Mss. fidelissimè deprompta, cum quam plurimis exemplaribus accurate ac diligentissimè collata, nec non commodioris interpretationis ergo Triplici Versione Latina ve-

B



stita opera et studio *Johannis Georgii Nisselii*, Lugduni Batavorum, ex officina Jo. Elsevier, sumptibus authoris. 4. foll. 22.

Arabico sermoni apposita versio latina non in omnibus probanda. Accedunt post pag. 11 duæ aliæ versiones, quarum prima vetusta est Roberti Retinensis, atque Hermanni Dalmatæ, altera nova è Gallica Andr. du Ryer confecta. Sunt exempla, quæ referunt annum 1638. vid. Vierter Band der Nachrichten von einer hallischen Bibliothek, pag. 478. sed est editio eadem.

7. Exercitatio philologica complexa præliminarem Alcorani Suratam, sex versuum, quæ quotidianam Muhammedanorum precationem, summæ apud illos authoritatis et dignitatis continet. *γλωττικὴ ἀσκήματος ἑνεκα* elaborata, et Gram. Anal. notisque passim vestita ab authore præside *Balthasare Raithio* — resp. M. Wilh. Chr. Stein. Tubingæ, typis Theodor. Werlini. 1657. 4. pagg. 18.

Typi arabici iidem, quibus, sua ipsius arte paratis, usus est Wilh. Schickardus, primo in disp. inscripta: *Paradisus Saraceno-judaica*, Tubing. 1625. 4. deinde in *Tarich*, h. e. *Series regum Persiæ*. ib. 1628. 4.

8. *Matthiæ Friderici Beckii* Specimen arabicum, hoc est bina capitula Alcorani XXX. de Roma et XLIIIX. de Victoria, è IV codicibus mss. arabicè descripta, latinè versa, et notis animadversionibusque locupletata. his nostris temporibus, quibus Imperium Romano-Germanicum victorias contra Muhammedanos prosequitur, accommodatum argumentum. *Augustæ Vindelicorum*. 1688. 4. pagg. 66. et 41.

De Beckio ejusque meritis egit AmEnde, ecclesiastes Kaufbeurensis, primo, *Vermischte Beyträge zu der alten und neuen allgemeinen besonders aber Schwæbischen Kirchen-und*

Gelehrten-Geschichte, 1765. 8. pag. 113 sq. deinde, Literar. Museum, 2. B. Altdorf. 1780. 8. pag. 376. sq. Ipse Beckius profitetur, in præfatione, anno demum muneris ecclesiastici decimo coepisse se arabicas litteras tractare, legendo Grammaticam ejusque præcepta memoriæ commendando. Textus ad fidem quatuor exemplorum conformatus, latina versio verbis adstricta, adnotationum aliæ grammaticæ, aliæ historicæ. Arabica omnia hebraicis litteris expressa, quod arabicorum typorum deesset facultas.

9. *Jo. Andr. Danzius* Jenæ 1692 initium fecit edendi Korani arabice et latine, in 4. sed destitit a coeptis, et rem omnem abjecit. Langium si audias in diss. de speciminibus, conatibus variis, etc. pag. 27. cujus verba repetiit Hirt, Institutt. Arab. linguæ pag. 259. factum id est ea propter, quod suam editionem tum publice venditaret Hinckelmannus. Sed aliter Acoluthus, de quo suo loco dicendum. Typis descriptæ sunt paginae 12. plagulis tribus dimidiatis, usque ad Sur. II vers. 66. Arabica non male descripta, sed latina versio textui subjecta litteris edita nimis exilibus.

10. Al-Coranus s. lex Islamitica Muhammedis, filii Abdallæ pseudoprophetæ, ad optimorum codicum fidem edita ex museo *Abrahami Hinckelmanni*, D. Hamburgi, ex officina Schultzio-Schilleriana, anno 1694. 4. pagg. 560.

De editione hac retulit Hirt, Or. und Exeget. Biblioth. 5 P. 1774. pag. 1 sq. de editoris rebus scriptisque, post J. Mollerum, Cimbriæ litter. Tom. II. pag. 329. Fr. Wilh. Strieder, Grundlage zu einer Hessischen Gelehrten und Schriftsteller Geschichte, VI B. Cassel, 1786. pag. 27 — 42. nam in Misnia quidem natus Hinckelmannus anno 1652. sed Giessa evocatus anno 1689. Hamburgum ad munus antistitis ad ædem Catharinæ, in quo obiit ægritudine confectus XI Febr. 1695.

Præter arabicum contextum non adest nisi præfatio, eaque copiosa, qua id se agere profitetur editor, ut repellat criminationes tres, 1. exiguum admodum esse et Corani et totius Arabismi usum, 2. si quid operæ in hoc libro ponendum fuisset, ab alio potius quam homine Theologo expectandum fuisse, certe in pastore Hamburgensi tale institutum merito improbari, 3. longe splendidius et limatius, si justa curatura non defuisset, prodire hoc opus potuisse: versione, commentario, refutatione, et ornamentis aliis fuisse locupletandum. — Igitur permultis, levioribus etiam, argumentis adhibitis cum Corani; tum arabicæ linguæ usum prædicat; in reliquis multo brevior; et versionem quidem consulte omisam esse perhibet maxime hanc ob rationem, quod eam “toti arabicæ litteraturæ fraudi et damno potius, quam usui fore putaret,” ut in græcis litteris factum sit, quæ minus nunc colantur, quod ex versionibus sapiant omnes. At constitutum tamen brevi ante tempore fuerat Hinckelmanno, versionem haud omnem repudiare. Certe catalogus librorum Lipsiæ ad mercatum autumnalem 1692. evulgatus inter libros futuris mundinis prodituros retulit hunc:

Alcoranus, sive doctrina Pseudo Prophetæ Muhammedis CXIV Suratis seu Capitibus proposita, ex emendatissimis exemplaribus, et præcipue ad fidem Codicis cujusdam præstantissimi ac Masoreticis Arabum observationibus instructi, collato simul Gielalodini Commentario nervoso, accurato studio et cura Arabice edita ab Abrahamo Hinckelmanno D. Accessit versio Latina præcipuorum et difficilium capitum ab Erpenio, Golio, Ravio, Nisselio, Warnero, Beckio et Hinckelmanno confecta, in 4. Hamburgi, ex officina libraria Schulziana.

Vid. Monatliche Unterredungen, Novemb. 1692. pag. 921. Et superest locus aliquis, qui rei rationem reddit perquam credibilem. Erat tum Parisiis nonnemo, natus Constantino-

poli, ex Judæo factus Muhammedanus, et Constantinopoli a legato Francico, qui in re gravi ipsius opera usus esset, Lutetiam missus, et inter Patres Oratorii receptus, ex quo nomen gerebat Byzantini (Louis de Byzance, Père de l'Oratoire.) Hunc igitur hominem voluit Hinckelmannus adiutorem habere in versione conficienda. Ille cum detrectaret officium, ommissa est versio. Hæc tradidit Richardus Simon, ipse Presbyter Oratorii Parisiensis, Nouvelle Bibliotheque choisie. Amsterd. 1714. Tom 2. pag. 188. "Le Turc Oratorien n'ayant point satisfait à la demande du Ministre de Hambourg, celui-ci n'a point joint de version Latine à son édition Arabe de l'Alcoran."

Arabici typi in hac editione usurpati videntur iidem esse, quibus Pocockiana antehac edita fuere Oxonii, nec illi recentes, sed usu triti atque hebetes. Iisdem quod abhinc in Germania editum fuerit, nobis haud visum.

11. Alcorani textus universus ex correctioribus Arabum exemplaribus summa fide, atque pulcherrimis characteribus descriptus, eademque fide, ac pari diligentia ex arabico idiomate in latinum translatus; appositis unicuique capiti notis, atque refutatione: His omnibus præmissus est Prodromus totum priorem tomum implens, in quo contenta indicantur pagina sequenti, auctore *Ludovico Marraccio* e congregatione Clericorum regularium matris Dei, Innocentii XI. gloriosissimæ memoriæ olim confessario. Patavii, 1698. ex typographia Seminarii. fol.

Antequam Koranus ipse in lucem prodiret, præpostere quidem, sed non sine consilio, editus est anno 1691. Romæ, typis Congregationis de propag. fide, Prodromus ad refutationem Alcorani, in quatuor partes divisus, auct. *Lud. Marraccio*. Voll. IV. 8. Deinceps idem Prodromus iterum descriptus est typis Patavinis et cum Corani textu ipso con-

junctus. Duarum igitur partium est opus: altera Textum arabice et latine cum refutatione interspersa exhibet, altera Prodromum. De universi operis ratione et usu relatum est in *Nouvelle Bibliotheque choisie* (par Rich. Simon.) Amstêrd. 1714. Tom. 2. pag. 187 — 223. in *Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek*, 5 B. pag. 230 — 236. et in *Jo. Fr. Hirts orient. und exeget. Bibliothek*, 5 Th. pag. 13 — 25. ita copiose, ut jam nobis non suppetat quod addamus, nisi hoc, quod Nagelius (vid. num. 16.) observavit, in binis a se usurpatis exemplis textum passim discrepare. Adhibiti sunt typi arabici, quos pro Seminario Patavino haud multo ante suis sumtibus fieri curaverat Barbadigo, Cardinalis, non luculenti quidem, sed satis probabiles. In præfatione, pag. 10. hæc commemorat Marraccius: “Cum hanc meam elucubrationem (quia id commodius, et sine ullis meis impensis, immo cum aliquo emolumento fieri poterat) in Hollandia, si hîc Romæ permitterent, typis vulgare tentassem, deque hoc Typographis illis scripsissem: illi humanissime operam suam, et quidem gratuitam, cum multorum etiam exemplarium dono, obtulerunt: sed cum conditione, ut a confutationibus abstinerem, cum posset quilibet Christianus per se ipsum Alcorani errores confutare. Adeo conditio mihi displicuit, ut maluerim hos meos labores in tenebris latere, quam lucem cum illa videre.” —

Latina versio seorsim edita, Mohammedis filii Abdallæ pseudo-prophetæ *Fides Islamitica*, i. e. Al-Coranus ex idiomate arabico, quo primum a Mohammede conscriptus est, latine versus per Lud. Marraccium — et ex ejusdem animadversionibus aliorumque observationibus illustratus et expositus, præmissa brevi introductione et totius religionis Mohammedicæ synopsi, ex ipso Alcorano, ubique Suris et Surarum versiculis adnotatis, congesta. cura et opera M. Christiani Reinneccii SS. Theol. Bacc. Lipsiæ 1721. 8.

12. Τετραπλα Alcoranica, sive specimen Alcorani quadri-linguis, Arabici, Persici, Turcici, Latini: cujus Textus authenticus arabicus, ex collatione XXX. codicum recensendus, hujus autem difficillimi sensus, tanquam obserata Satanæ abyssus, gemina Clave, eaque felicissima, nimirum versione Persica, in ipso Oriente rarissima, et Turcica, adhuc rariore, Christianis autem huc usque prorsus ignorata, recludendi, ac triplici Latina versione exponendi, Annotationibus etiam etc. illustrandi sunt, autore *Andrea Acolutho*, Theologo, et linguar. orient. professore Vratislaviensi. Berolini, 1701. fol. pagg. 57.

Specimen ipsum uno capite primo absolvitur, quod arabice, persice, turcice exhibetur, posita e regione triplici latina versione, subjectisque annotationibus. In his quæ primo loco posita est, in Jo. Andr. Danzium dictam esse novimus, estque hæc: سورة *Caput*. Prima hæc Alcorani vox primus offensionis lapis fuit Clariss. viro, qui Alcoranum cum versione latina in lucem edere voluit, sed magno suæ famæ, quam ex hebraismi notitia digne consecutus est, bono, per meam intimationem à proposito, licet cum aliqua indignatione in me innocentem effusa, abstractus fuit. etc. — Quæ addita est “Προσφώνσις ad Aequos rerum Aestimatores,” verbosa admodum et multa referens effusa magis quam selecta, tandem redit in hanc sententiam, pag. 47. “Quandoquidem propositum meum, Alcoranum Arabicum, Persica, Turcica, et triplici Latina (seorsim etiam Germanica) Interpretatione et Commentario illustratum edendi, sonticarum rationum basi innititur, — nihil insuper momentosi de statione sua idem amovere valet. Eâ tamen lege laborem suscipiam, si mihi otium ab aliis negotiis Ecclesiasticis fuerit paratum. Quodsi sub onere laborum Ecclesiasticorum succubero — — excusatum me habebunt Eruditi, quod promissa non exsolverim.” At hæsit Aco-

luthus in munere suo ecclesiastico, haud multo post vita defunctus, a. d. 4 Nov. 1704. natus annos 50. De rebus scriptisque viri ingenio prompti et linguas XXII experti retulit L. H. Tromler, *Neue Beytraege von Alten und Neuen theolog. Sachen* — auf das Jahr 1761. IV St. pag. 414 — 471. et Adeling, *Fortsetzung und Ergaentzung zu Joechers allg. Gel. Lexikon.* — Acoluthus est quem putabat A. Galand, scribens in praefat. ad *Bibliotheque Orient.* par M. d'Herbelot. 1697. pag. penult. “M. Reduthus qui travaille en Silesie depuis vingt ans à une version du même Alcoran, avec des Notes, fait esperer, qu'il donnera cet Ouvrage au Public.”

13. Alcoranus Mohammedis Abdallæ filii universus cujus textum arabicum ex optimis codicibus, Msc. juxta ac impressis recensuit, accurata versione latina adornavit, et adnotationibus brevibus ac luculentis illustravit *Joh. Gottfr. Lakemacher.* accedit *Lexicon arabicum omnium*, quæ in Alcorano continentur, vocum.

Plagulam dimidiatam emisit Lakemacher, quæ præmissa inscriptione brevique præfatione, scripta Helmstad. 28 Aug. 1721. exhibet pag. 2 textum arabicum Suræ II. 1 — 14. pag. 3 versionem latinam cum notis subjectis, et pag. 4 Specimen Lexici Coranici. Præfatio desinit in hæc verba: “Talis igitur erit opera nostra, quam in curanda Alcorani editione ponemus. Eam publicare constituimus, ubi præsertim facilis, qui sumtus suppeditet, obtigerit bibliopola.” *Joh. Laur. Mosheim* ad La-Croze scripsit Helmstad. 24 Sept. 1724. “Apud nos in locum Oldermanni suffectus est *Joh. Lakemacher*, vir eruditus et linguarum græcæ et orientalium peritissimus, qui in *versione nova Corani cum notis brevibus* edenda diu elaboravit.” *Thesauri epistolici LaCroziani* T. I. pag. 308.

14. Excerptum Alcoranicum de Peregrinatione sacra hoc est

est caput XXII Alcorani variantibus lectionibus ex msc. commentatore Beidavio et notis selectis illustratum a *J. C. Clodio* P. P. L. Ar. in usum auditorum ceu Supplementum Grammaticæ arabicæ. Lipsiæ 1730. litteris Takkianis. 4. pagg. 16.

Separatim editum est opusculum, sunt vero etiam exempla Grammaticæ, inscriptæ: *Theoria et praxis linguæ arab.* 1730. quæ additum illud exhibent.

15. Specimen arabicum in Suratam Corani duodecimam, in qua historia Josephi patriarchæ traditur. Quod præside Dn. Joh. Jac. Salchlino, V. D. M. ss. Theologiæ in Acad. Lausan. profess. ord. publice defendet *Johannes Salchlinus*, fil. philos. studiosus. Author. Lausanæ ad diem anno 1742. Bernæ ex officin. typogr. ill. Reip. Bernensis, 1742. 8. pagg. 281.

Opusculum tironibus scriptum a tirone; ipse enim auctor in præfatione illud a se compositum et ad finem perductum esse perhibet, cum nondum decimum quartum ætatis annum explevisset. Arabica omnia hebraicis litteris expressa. Textus, olim ab Erpenio vulgatus (num. 2.), hîc ita editus, ut singulis versibus submittantur notæ, quibus declarantur voces singulæ. Expositio est mere grammatica, in minimis etiam expediendis tam strenua, ut non sit quod a tirone possit desiderari. Sunt quoque exempla, inscripta: Joh. Salchlini Specimen Arabicum seu analysis grammatica et notæ in Suratam Corani duodecimam, in qua Josephi Patriarchæ traditur historia. At tamen paucissimi forte, quos non effugerit opusculi notitia, licet tradita ab Erschio, *Das Gelehrte Frankreich*, Nachtrag, Hamburg. 1802. pag. 419. suppeditante forsân auctore, superstite, hebr. ling. professore Lausannensi.

16. Dissertatio inauguralis de prima Alcorani Sura, quam præside *Jo. Andr. Mich. Nagelio* d. VIII Maii 1743 publico

C



examine subicit Jac. Christoph. Guil. Holsté Norimbergensis. Altorfii. 4. pagg. 56.

Quæ ad declarandum perbreve textum dicta sunt, critici atque historici magis generis sunt quam grammatici. Usum se auctor affirmat binis Marracciani Corani exemplis, hisque inter se comparatis deprehendisse nonnunquam discrepantiam in edito textu arabico, veluti Sur. I. 7. ubi alterum exemplum referat ^{عَبَسَ}, alterum non minus perspicue ^{عَبَسَ}. Arabica redita sunt litteris hebraicis.

17. Corani caput primum et secundi versus priores, arabice et latine cum animadversionibus historicis et philologicis, nec non notarum Coranicarum specimine edidit M. *Justus Frid. Froriep*. Lipsiæ 1768. 8. pagg. XVI et 64.

Relationem et iudicium de opusculo exhibet Jo. Aug. Ernesti Neue theolog. Bibliothek, 9 B. 5 St. pag. 471—76.

18. Al-Koran, arabice. fol. min. pagg. 477. (Petropoli, 1787.)

Volumen universum ita penitus arabicum, ut ne minimum quidem alieni admixtum habeat. Neque loci temporisve, quo editio facta sit, mentio ulla deprehenditur: ejusmodi omnia ommissa, certo ut videtur consilio, ne abstinerent ab usu libri Mohammedani, si Christianorum opera illum compositum esse cognoscerent. Constat vero, editionem primam hanc factam esse Petropoli 1787. auspiciis et impensis Catharinæ Imperatricis, ut libro uti possent qui ipsius imperio subessent Mohammedani; qui eandem curavit, dicitur Molla (مولّا, Judex, Præfectus) Vsman Ismael. Editio perelegans; litteræ haud multum absimiles a Mediceis illis, quæ sunt in edenda geographia Edrisii usurpatæ. Singulæ paginæ sunt ad amussim linearum XVII. Versiculi signo quidem distincti, sed nullis adhibitis numerorum notis. Appositæ etiam sunt siglæ

لا, ج, ط, quæ quid significant, declarabit Grammatica arabica, quam nunc edit vir illustris, Silvestre de Sacy, pag. 72. num. 147. Margo exterior consitus Scholiis, minutiore typo descriptis. Duplicis ea generis sunt, alia critica, quæ et varietatem lectionis scriptionisve, sed fere in minutis rebus versantem, referunt, et vocabulorum non modo sed et litterarum, quibus Sura constet, numerum tradunt, alia philologica, quibus vocis significatio et usus declaratur. Paginam 477 postremam excipit formula supplicationis ad Deum, recitanda post peractam Korani lectionem, ex qua vel maxime intelligitur, quam religiose versentur in libro suo divino tractando Moslemi. Accesserunt indices 1. Sectionum, الأجزاء, XXX. 2. Suratarum CXIV. Tabula emendandorum refert errata nonnisi 32. eaque textum spectantia. Sed in Scholiis plura videntur superesse. Lubet Specimen adscribere Scholiorum grammatici generis. Sur. IV. (vers. 169 Marrac.) pag. 80. in margine hæc:

قوله نعه المسيح فيه ستة اقوال قيل سبي غيسي (sic) عليه السلام (sic) مسيحاً لسباحته في الارض واصله مسيح مثل مفعول فاسكنت الياء وحولت كسرتها الي السين وقيل مسيح فعييل من مسح الارض لانه كان يمسخها اي يقطعها وقيل سبي مسيحاً لانه خرج من بطن امه مسوحاً بالدهن وقيل سبي مسيحاً لانه كان امسح الرجل ليس لرجله اخمص والاخصص ما نتجاني عن الارض عن باطن الرجل وقيل سبي مسيحاً لانه كان لا يمسخ نا عاهة الا بري وقيل المسح (sic) الصديق ماخون من غريب القران العزيزي

h. e. Al-Masîh (Messias.) de hoc nomine sex feruntur opiniones. 1. Jesum, super quo sit pax! dictum esse sic, quod peregrinaretur in terra, vocem مسيح esse formæ مسح, quiescere literam Je, ejusque vocalem redire ad literam Sin. 2. vocem مسيح esse formæ فحيل, verbi significationem esse peragrare, quod terram ipse soleret peragrare. 3. dictum esse Messiam eapropter, quod ex utero matris prodierit unctus oleo. 4. dictum esse sic, quod haberet æquabilem pedis plantam, in quo non esset quod arabice dicitur أخص, est autem interioris plantæ illa pars, quæ non tangit humum. (forte pro من باطن sumendum عن باطن.) 5. dictum esse sic, quod eum qui noxa laboraret non ungeret nisi sputo. 6. Al-Masîh idem esse quod Al-Sadîk, verum, justum; et esse hoc de peculiaribus Korani angusti.

Fertur hæc editio Petropoli repetita fuisse et anno 1790 et anno 1793. nulla prorsus mutatione admissa.

19. Al-Korani editio mere arabica, eaque duplex prodit anno 1803 in urbe Kazan, altera in 4 maj. altera plurium voluminum in 8.

Utraque extremo loco notationem refert, turcice, qua dicitur impressio absoluta esse in urbe Kazan anno 1803 Christiano. Typi utrinque iidem, quibus Petropolitane antea editiones factæ, sed nunc repetitis usibus magis triti et hebetes: unde credibile est, Petropoli quæ primo locum habebat typographiam arabicam migrasse in Asiam. Destituta est hæc utraque nova editio scholiis omnibus. Plura suppeditant Gœtting. gel. Anzeigen, 54 St. 5 Apr. 1806. quibus cum prætermissa sit, quam editio formæ minoris in postrema pagina additam habet, professio turcico sermone facta, non abs re erit, eam hoc loco commemorare. Est hæc:

Nos, minimus servorum Dei, Abd-al Aziz Tokthamisch Abu-Ali, qui causam dedimus decreto imperiali, profecto

a nostro Domino potente, gratioso, benefico, salutis subditorum suorum studiosissimo, Imperatore nostro maximo, de hoc Verbo Dei typis excudendo accurate et exacte in usum natorum nostrorum, nos speramus a lecturis et libro usuris, memores nostri illos futuros esse in suis precatio-nibus.

20. Opusculum Koranicum est penes nos arabico-lati-num plagularum 6 dimid. paginas 48 efficientium, sed destitu-tum inscriptione et praefatione. Arabici textus voces, singu-læ, passim duæ tresve junctæ, in uno latere paginae, in alte-ro latinæ, quæ respondeant, collocatæ. Pag. 1 et 2 initium facit "Sura prima, sive caput Alcorani primum." Sequitur pag. 3—16 "Aliud Alcorani caput de judicio extremo." (quod est 64.) Hoc excipit pag. 17. "Aliud Alcorani caput. Historia Josephi." (cap. 12.) quod pag. 48 desinit versus 42 vocibus

الَّذِي فِيهِ تَسْتَفْتُونَ. Latina versio studiose ac scite confecta, non petita a Marraccio vel Erpenio. Singula quoque arabica litteris latinis expressa, veluti illa, "allasi fih testaftejan." Tironibus hæc parata fuisse, docet universa ratio. At quis sit qui curaverit, quonam typographo, eoque ut videtur minus parato a typis arabicis, usus sit, nos nunc non assequimur. Plura his, quæ diximus, typis descripta fuisse haud credibile, ob idem signum, quod pag. 16 ima conspicitur, positum quoque pag. 48 necdum absoluta Súra XII.

Versiones Korani ex ipso sermone arabico factæ.

I. Latinae.

1. Vetus, facta anno Chr. 1143 auspiciis et sumtibus Petri Abbatis Cluniacensis a Roberto Retinense, seu Ketenen-se Anglo, huiusque socio, Hermanno Dalmata, edita una-

cum pluribus ab hoc argumento non alienis opusculis a Theod. Bibliandro, et inscripta:

Machumetis, Saracenorum principis, ejusque successorum vitæ, ac doctrina, ipseque Alcoran, . . . quæ ante annos CCCC, vir . . . clarissimus, D. Petrus abbas Cluniacensis . . . ex Arabica lingua in Latinam transferri curavit. — — Hæc omnia in unum volumen redacta sunt, opera et studio Theodori Bibliandri, Ecclesiæ Tigurinæ ministri, qui collatis etiam exemplaribus Latinis et Arab. Alcorani textum emendavit, rel. fol. (Basileæ, 1543.)

Inscriptio integra, omniumque, quæ in volumine exhibentur, enumeratio vid. in Nachrichten von einer Hal-lischen Bibliothek. 5. B. pag. 236 sq.

Secunda editio prodiit Basileæ 1550. fol. non prorsus eadem; habet enim hæc nonnulla addita, quæ speciatim refert Lang, disp. de Alcorani versionibus etc. pag. 15.

Versionis hujus, obscuræ et parum certæ, Specimina dedit Erpenius (num. 2.) et Nisselius (num. 6.)

Hujus loci est liber, inscriptus:

Mahometis Abdallæ filii Theologia dialogo explicata, Hermannō Nellingavnense interprete. Alcorani epitome, Roberto Ketenense Anglo interprete. Johannis Alberti Vuidmestadii Jurisconsulti Notationes falsarum impiarumque opinionum Mahumetis, quæ in hisce libris occurrunt. Johannis Alberti Vuidmestadii Jurisc. ad Ludovicum Alberti F. Palatii Rhenani Comitem, Bavarix utriusque Principem Illustriss. optimumque Dication. (Norimbergæ.) 1543. 4 min.

Dicationem excipiunt, quæ Præfationis loco sunt, litteræ breves, Landishutæ XVIII Kal. Febr. 1543 ad Jo. Ottonem, bibliopolam et civem Norimbergensem, scri-

ptæ ab editore, transmittente quæ vellet typis describi. Incipiunt his verbis: "Mahometis Theologia Arabice scripta fuit, ut cæteri libri omnes, quibus autoritas tribuitur ab Agarenis, quam Hermannus quidem Nellingaunensis, ut in Fausti Sabæi docti et diligentis viri codice animadverti, Latine est interpretatus. Meus enim liber Byzantio ad me missus, interpretis nullum nomen adscriptum habet." Haud discrepat vero, nisi in levissimis, hæc "Mahometis Theologia" ab illa, quæ in Bibliandri libro Koranum latinum excipit pag. 186—200 editionis primæ, "Doctrina Machumetis summatim comprehensa, quæ aq̄d Saracenos magnæ autoritatis est, ab eodem Hermanno (Dalmata) ex Arabico translata." Alcorani Epitome nonnisi argumenta sententiasque concisas, nullo ordine servato, exhibet, non sermonem aliquem continuum; numeris in ora positis spectantibus ad Notationes subjectas. Hanc editor, in Litteris suis, designat his: "Alcoranus ex libris quatuor bene longis, quos Latinos a me factos edendos tibi propediem dabo, in hanc Epitomen à studioso aliquo Mahometanarum deformitatum contractus est, quam Robertus Ketenensis ex Anglosaxonibus Britannus, Petri Abbatis Cluniacensis hortatione, ex Arabico transtulit in sermonem Latinum. . . . Hujus translationis mentionem facit N. Cusanus ipso statim initio suæ Cribrationis. Vnde facile adducor, ut credam hanc Epitomen Alcorani integri existimationem apud plærosque hactenus obtinuisse." Ita qui statuit, certe Roberti Versionem cognitam habuisse haud existimandus. Credibile potius, Epitomen Latinam a nonnemine conflata esse ex opere Roberti. De Alcorano latino a se propediem mittendo ad edendum quod scripsit Widmanstadius, eventum non habuit. Quæ Widmanstadiana omnia servat bibliotheca Bavarica Monachiensis, versio-

nis illius nihil habet quod possit exhibere. (vid. Sammlung für die Geschichte . . . von Jo. Georg Schelhorn. 1. B. Nördlingen, 1779. 8. pag. 7.) Quod ille dixit de Alcorano ex libris quatuor bene longis in Epitomen redacto, mirum sane non potest non videri omnibus, qui distributionem eam alienam esse a Korano haud ignorant.

2. Nova, facta a Lud. Marraccio, et separatim edita à Reineccio. Ex hac ducta est Germanica: David Nerreters neu eröffnete Mahometanische Moschea, worinn erstlich der Mahometanischen Religion Anfang u. s. w. fürs andre, der voellige Alkoran nach der besten Edition Ludov. Marraccii, verteutscht, und kürzlich widerlegt wird. Nürnberg 1703. 8.

Commemoranda hoc loco sunt etiam hæc:

Specimen Versionis Coranicæ, adornatum in Caput XIX. quod inscribitur Caput Mariæ, editumque nunc à S. G. S. Coloniae Brandenburgicæ, 1698. 4. plagg. 4 et quod excurrit.

Sebast. God. Starckius, Hamburgensis, est qui edidit, cujus auxilio Hinckelmannus, in præf. ad Koranum, ita se usum esse gratus prædicat, ut sine ipso fuisset, succumbere se oneri potuisse fateatur. In Annotationibus editio Hinckelmann. passim emendata. Præfatio eleganter scripta agit de difficultatibus declarandi Korani.

Nova Versio partis Suræ II. Corani, cum illustrationibus subjectis, Specimen novæ versionis totius Corani. Præsede Jo. Dav. Michaelis — pro obtinendis honoribus Magistri Philosophiæ die XI. Maji 1754 defend. Olaus Domey, Angermannia Suecus. Gættingæ. 4. plagg. 4½.

Qui de opusculo retulit, haud dubie editor ipse, Michaelis-

chaelis, in Gœtting. Anzeigen, 59 St. 18. May 1754. professus est, se in eo esse, ut non modo versionem novam, eamque præstantiorem, sed et conjunctum cum ea textum integrum Korani, et quidem typis ab Elia Luzac, Leidense, bibliopola suppeditandis, in lucem edat. Firmumne fuerit consilium? quid causæ intercesserit, cur haud quidquam consecutum sit? nos non habemus edisserere.

II. Italica.

L'Alcorano di Macometto, nel qual si contiene la dottrina, la vita, i costumi et le leggi sue. Tradotto nuovamente dall' Arabo in lingua Italiana. Con gratie et privilegii. MDXLVII. 4. foll. 150.

Dedicationi, inscriptæ: Allo illustriss. Signor Gabriel De Luoës S. D'aramon, Consigliere della Maesta Christianiss. et Ambasciatore appresso il Sig. Turco, nomen subscripsit suum Andr. Arrivabene. Erat vero hic, cujus nomine ferri solet editio, non nisi bibliopola, cujus sumptibus Venetiis edita etiam alia nonnulla prostant. Editorem autem, cujus opera usus Arrivabene, versionem ex Arabico factam venditando fucum et fraudem fecisse, vix dubium. Conflatum esse opus universe ex Volumine, quod edidit Theod. Bibliander, quamquam haud levis inter utrumque intercedit discrepantia, multis declaravit Langius in diss. de Alcorani versionibus etc. pag. 21 sqq. Aliter quidem statuit celeb. De-Rossi, cujus hæc sunt loc. cit. pag. 14. "Asserens Theseus se hæc (locum Suræ V.) deprompsisse ex *secundo* libro (Korani arabici), innuit, Paganini editionem (arabicam) secutam fuisse divisionem illam Corani in tres libros, quam sequitur italica versio Arrivabenii. Primus liber duodecim capita complectebatur, nec pars Corani erat, sed tanquam prologus aliunde

D



consarcinatus, secundus ac tertius suras ipsas continebat; quo fit ut V^{ta} Sura ad II librum pertineret. Ex singulari autem hac librorum divisione, quæ videtur in utraque editione retenta, quis statim non conjiat ex arabico Paganini textus Arrivabenum versionem suam derivasse?" Enim vero quæ primi libri seu Prologi sunt in italico opere, ita sunt comparata, ut ad arabicam editionem neutquam potuerint illa pertinere. Quod autem Theseus Ambrosius scripsit ex *secundo* libro recitare se locum, qui est Suræ quintæ, lucis ac fidei nonnihil recipit ex Widmanstadii, discipuli in Syriacis litteris Thesei et eodem fere tempore scribentis, verbis illis, quibus (supra pag. 24.) Alcoranum ex *libris quatuor* bene longis in epitomen reductum commemorat. Sane quatuor libros si statuas non omnes prorsus æquales; possit locus Sur. 5 vers. 119 cadere sub initium secundi libri. Sur. 5 vers. 85 ed. Hinckelm. (vers. 91 ed. Marr.) desinit Sectio VI. et Sectiones omnes constat esse XXX. De partitionibus Korani vid. Golius in Erpenii Grammat. Arab. ab ipso Lugduni Bat. 1656. edita, pag. 177. 78.

Ex Italica hac versione facta est Germanica Sal. Schweiggeri. Alcoranus Mahometicus, das ist: Der Türcken Alcoran, Religion und Aberglauben erstlich aus der Arabischen in die Italianische, jetzt aber in die Teutsche Sprach gebracht durch Herrn Salomon Schweigger, Predigern zu unser Frauen Kirchen in Nürnberg etc. Nürnberg 1616. 4. Secunda mox libri editio prodit Nürnberg 1623. 4. vid. Fünfter Band der Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek, pag. 244.

Germanicam secuta est Hollandica,
De Arabische Alcoran. — — Uyt de Arabische Spræke,
nu nieuwelijks in Hooghduytsch getranslateert — door
Salomon Swigger — Ende wederom uyt het Hoogh-

duytsch in Nederlandsche Spraek ghestelt. Gedrukt voor Barent Adriaensz. Berentsma, Boek-verkooper tot Hamburgh. 1641. 4. pagg. 164. Quæ inscriptio duo habet falso dicta, 1) ex Arabico transtulisse Schweiggerum, 2) Hamburgi editum esse librum. Vid. Bibliotheque curieuse, par David Clement. T. I. pag. 148. Baumgartens Nachrichten von merkwürdigen Büchern. III. B. S. 123.

III. Gallicæ,

- i. antiquior, L'Alcoran de Mahomet. Translaté d'Arabe en François, par le Sieur Du Ryer, Sieur de la Garde Malezair. à Paris chez Antoine de Sommaville. 1647. 4. pagg. 648.

Versionis auctor, Andreas du Ryer, in Aegypto consulis Galliæ officio functus, bene quidem versatus erat in litteris arabicis turcisque, at interpretandi genere usus esse dicitur vago ac inconstanti, nec locum dedit annotationibus, quibus ambigue et obscure dicta illustrarentur. Successu tamen prospero usa hæc versio, non modo mox anno 1649 repetita in Hollandia, et deinceps sæpius, usque ad nostram fere ætatem, edita, sed et in alias linguas translata.

Anglice exstat, The Alcoran of Mahomet, translated out of Arabick into French . . . and newly Englished, for the satisfaction of all that desire to look into the Turkish vanities — London. 1688. 8.

Belgice, Mahomets Alcoran door du Ryer uit d'Arabische in de Fransche en door J. H. Glazemaker in de Nederlandsche Taal vertaalt. Rotterdam, 1698. 8.

Ex Belgica versione iterum facta est Germanica, Vollständiges Türkisches Gesezbuch . . . Aus der Arabischen in die Franzoesische Sprach übergesezt durch Herrn Du Ryer, aus dieser aber in die Niederländische durch

H. J. Glasemaker: Und jetzo zum allererstenmahl in die Hochteutsche Sprache versetzt durch Johann Lange, Medicinæ Candidatum. Edita hæc est in Happelii Thesauro Exoticorum. Hamburg. fol.

2. recentior, Le Coran, traduit de l'Arabe, accompagné de notes, et précédé d'un abrégé de la vie de Mahomet, tiré des écrivains Orientaux les plus estimés. par M. Savary. T. I et II. à Paris 1783. 8.

Tomo I. præfationem, pag. I—XIII. excipit pag. XIV.—XVI comparatio versionis illius antiquioris et hujus recentioris; sequitur Vita Mohammedi, pag. 1—248. Versio Corani procedit pag. 1—270 ad finem usque capitis 14. Tomus alter complectitur reliqua capita, pag. 1—464. Notæ breves nec admodum frequentes putantur non ex fontibus ipsis haustæ, sed ex Marraccii Saliique operibus sumtæ. Nec alia opinio est de Vita Mohammedis. Famam consecutus est Savary libro inscripto, Lettres sur l'Égypte — Paris, 1785. 8. de quo vid. Michaelis Neue Or. und Exeget. Bibliothek, 2 Th. pag. 198 sq. et ejusdem quoque Grammatica arabica haud paucis abhinc annis coepta typis describi, sed nondum perfecta.

IV. Anglica.

The Koran commonly called the Alcoran of Mohammed: translated into English immediately from the original Arabic, with explanatory notes, taken from the most approved commentators, to which is prefixed a preliminary discourse: by George Sale Gent. London. 1734. 4. pagg. 187 et 508. vid. Fünfter Band der Nachrichten von einer Hallischen Bibliothek. pag. 246.

Exstat alia editio, paucioribus cognita, Voll. 2. in 8. London. 1764. Inscriptio plane eadem, nequidem ad-

dita mentione, secundam esse hanc editionem. Traditum est in Diario de litteratura universa, et quidem in *Intellig. Bl. Num. 90. 6. Maj. 1801.* prodiisse nuper novam editionem Londini 2 Voll. 8.

Interpretatio hæc cæteris multo præstantior semper reputata est, habetque magnam commendationem ex præmissa tractatione, quæ permultum juvat ad recte et intelligenter de Korano ejusque doctrina statuendum. Erat Georgius Sale causidicus (Anglis Attorney dicitur) Londini, sed ad litteras, maxime arabicas, colendas multo quam ad tractandas causas forenses propensior. In parando grandi illo opere *Historiæ Universeæ* partem et ipse habuit, sed non nisi in Vol. I. cujus partem eam, qua de *Cosmogonia* agitur, elaboravit; defunctus ætate nondum provectiore, multis suspectus de animo a sacris Christianorum libris alieniore.

Germanice exstat, *Der Koran . . . unmittelbar aus dem Arabischen Original in das Englische übersezt . . . von George Sale, Gent. Aufs treulichste wieder ins Teutsche verdollmetschet von Theodor Arnold. Lemgo, 1746. 4. pagg. XXVIII. 232. 693.*

Gallice, *Observations historiques et critiques sur le Mahometisme. ou Traduction du discours préliminaire mis à la tête de la Version Angloise de l'Alcoran, publiée par George Sale. à Geneve, 1751. 8. pagg. 510.*

V. Germanicæ.

Die Türkische Bibel oder des Korans allererste teutsche Uebersetzung aus der arabischen Urschrift selbst verfertigt: welcher Nothwendigkeit und Nutzbarkeit in einer besondern Ankündigung hier erwiesen von M. David Friederich Megerlin, Professor. Franckfurt am Mayn. 1772. 8. pagg. 876.

Megerlinus, Württembergensis, privatam vitam agens Francofurti, memoria multum videtur valuisse, ad arripiendas linguas; parum sensu atque iudicio. Languidior est, quam edidit, versio, nec dignitate et elegantia commendabilis. Sed cum fructu usurpari potest ab illis, qui arabico textui cognoscendo velint operam dare. Nimis aspere de ea statuit, qui ad pessimas versiones eam referendam esse pronuntiavit, in *Allgem. deutschen Bibliothek*, XVII. B. pag. 426 sqq. Multis de libro sermocinatus est Hirt, *Oriental. und exeget. Biblioth.* I T. pag. 433—459.

Der Koran, oder das Gesetz für die Muselmänner, durch Muhammed den Sohn Abdall, nebst einigen feyerlichen koranischen Gebeten, unmittelbar aus dem Arabischen übersetzt, mit Anmerkungen und einem Register versehen, und auf Verlangen herausgegeben von Friedrich Eberhard Boysen. Halle, 1773. 8. pagg. 680.

Editio secunda, emendata. ib. 1775. 8.

Proluxe de libro et de Korano ipso disseruit Michaelis, *Bibliothek.* VIII. pag. 30—98. Accommodatius ad causam, qui de Megerlini versione statuit, etiam de hac retulit in Anhang zu dem 12—23. B. der *allgem. deutschen Bibliothek*, 2^{ten} Abtheilung, pag. 830—47. Boyseniana versio ad illos magis pertinet, qui velint Koranum ejusque præcepta perlustrando cognoscere, ratione non habita sermonis arabici, ad quem minus commode referri possit hæc interpretatio, quæ non habet versus numerorum signis distinctos.

Der kleine Koran oder Uebersetzung der wichtigsten und lehrreichsten Stücke des Koran's mit kurzen Anmerkungen. Zur richtigern Kenntniss und Beurtheilung der

von Muhamed gestifteten Religion, von Jo. Christian Wilh. Augusti. 1798. 8. pagg. 339.

Nova hæc selectorum Korani locorum versio, maximam partem metrica, et 3 capitum, III. XII. XV prosaica, cæteris est multo excultior, et lectu facilior jucundiorque. Vid. de ea Allg. Litter. Zeitung 1799. Num. 26.

Korano adnumeramus hæc:

Muhammedanus precans, id est, Liber precationum Muhammedicarum Arabicus manuscriptus, in illustri bibliotheca Gottorpiana inventus: Latinitate nunc donatus, et notis illustratus, typisque mandatus et in lucem editus — authore *Henningio HenningI*, Husano Holsato. Sleswigæ, 1666. 8. pagg. 635.

Sunt præter primam Korani Suram, primo loco positam, preces XII. ex msto libro, quem Olearius ex Persica legatione reportavit et in bibliotheca Gottorpiana deposuit, editæ arabice, addita versione latina, et densissima silva annotationum. In dedicatione auctor "si quæritis, inquit, cur non Preces addiderim plures? plures equidem, fateor, fuerunt ad manus, . . . sed typi non erant tam multi, ut pluribus excudendis sive imprimendis sufficerent: et Amstelodamum aut Leidam ejus rei causâ proficisci, et editionem curare, plures requirebat sumtus, quam hoc quidem tempore a sorte mea proficisci atque expectari poterant."

Preces has XII suæ versioni Korani subjunxit Boysenius.

Adriani Relandi de religione Mohammedica libri duo. Quorum prior exhibet compendium theologiæ Mohammedicæ, ex codice manuscripto Arabice editum, Latine versum, et Notis illustratum. Posterior examinat nonnulla, quæ falso Mohammedanis tribuuntur. Ultrajecti. 1705. 8. pagg. 188.

Opusculum arabicum quo tempore, quonam auctore editum sit, non videmus enarratum ab editore; præfatio non tradit nisi hæc: "Ego, quum nactus essem varia Systemata Theologiæ Mohammedicæ, eaque magnæ auctoritatis, et a Celebrerrimis Viris confecta, inter quæ hoc brevissimum est, et ordine satis concinno conscriptum, quod tibi heic exhibeo, a me impetrare non potui, ut orbi illud negarem." Subjunctus est ab editore Index codicum orientalium mstorum, quos citaverit et quibus usus sit; inter hos refertur num. XVIII. Compendium Juris Sacri et civilis auctore Abu Schosjain etc. additis verbis his: Hoc in plerisque convenit cum *Compendio nostro Theologiæ Mohammedicæ*, quod hic Arabice et Latine dedimus."

Hadriani Relandi de religione Mohammedica libri duo. Editio altera auctior. Trajecti ad Rhenum. 1717. 8. pagg. 272.

Non modo auctior est hæc editio, maxime in annotationibus ad libr. I. sed et multo ornatior, typis arabicis usa bellis ac bene compositis, et figuris etiam æri incisis conspicua. Præfatio quidem iterum signata, Kalendis Juniis 1705. sed passim discrepat a præfatione primæ editioni præmissa. Obiit Relandus 11. Febr. 1719.

Versiones libri:

Hrn Adrian Relands, Welt-berühmten Professoris der Orientalischen Sprachen in Utrecht, zwey Bücher von der Türkischen oder Mohammedischen Religion, davon das erste ist ein kurtzer Begriff der Mohammedischen Theologie, von ihm aus dem Arabischen übersetzt, und mit seinen Anmerkungen erläutert; im zweyten aber viele Dinge untersucht werden, die man bisher den Mohammedanern fälschlich beygemessen hat. Nebst dessen curieusen Tractat von dem Mohammedischen Krieges-Recht, Unsern Teutschen zu Liebe getreu-



getreulich übersetzt, und zum andern mahl in dieser Sprache herausgegeben. Hanover, 1717. 8. pagg. 231.

Primæ editionis versio est. In Hadriani Relandi Dissertationum miscellanearum Parte Tertia et ultima. Traj. ad Rhenum. 1708. 8. edita est Dissertatio de jure militari Mohammedanorum contra Christianos bellum gerentium.

La Religion des Mahometans, exposée par leurs propres Docteurs, avec des Eclaircissemens sur les opinions qu'on leur a faussement attribuées. Tiré du Latin de Mr. Reland et augmenté d'une Confession de Foi Mahometane, qui n'avoit point encore paru. à la Haye. 1721. 12. pagg. CCVII et 317.

Versionem hanc a se factam edidit David Durand, ecclesiæ Gallicæ Reformatæ concionator Londini, cujus vitam enarratam exhibet Magasin Encyclopédique, Num. 16. Nivôse, an XI. (VIII Ann. Tom. IV. pag. 487.) De Confessione Fidei Mohammedicæ, quam sibi peculiarem habet hæc Versio, non nihil dicendum. Index ille codicum orientalium, vulgatus a Relando, refert "Manuscriptum Hispanicum de religione Mohammedica, sed caractere Arabico consignatum, quod totam religionem Mohammedicam uberrime exponit." Hoc scriptum, sed Latine conversum, Durando transmissum est ex bibliotheca publica Amstelodamensi (pag. XXXIV et CLXXVII.) et ab ipso Gallice redditum, editumque pag. CLXXVII – CCI. Mentionem ejus factam videas in commentatione: de scriptis peregrino caractere exaratis, in Beylage zur Helmstædt. literarischen Zeitung. May 1791. pag. 74 sqq. Alia singularis hujusce generis scripta exposuit ill. Silvestre de Sacy, in Journal des Savans, -16. germinal, an 5. N.º 7. (Eichhorn's Bibliothek, VIII. B. pag. 1 – 22) et uberius in Notices et Extraits des MSS. de la Bibliothèque Nationale – T. IV. Num. XXII. p. 626 – 647.

Relandi de Relig. Mohamm. opusculum Anglice etiam edi-

E



tum esse Londini 1712. nec non post editionem alteram Belgice, testis est interpres Gallus, Præf. pag. X.

Koranici argumenti hæc sunt:

Compendium historicum eorum quæ Muhammedani de Christo et præcipuis aliquot religionis Christianæ capitibus tradiderunt, auctore Levino Warnero. Lugduni Batav. 1643. 4. pag. 56.

“Scias, lector, — verba sunt præfationis — Arabica quæ in hoc opusculo adducuntur, deprompta esse ex Alcorano, et commentario ad eum *كتاب الكشاف*. Nec tamen singula adduxi, quæ de hoc argumento in iis observavi: compendio enim nunc præcipua constrinxi: reliqua majori operi reservo.” Quæ refert “Appendix Miscellaneorum theologorum” pag. 39—56. excerpta sunt ex eodem Commentario ad Alcoranum.

Opusculum non poterat non ea ætate esse acceptius, quod Koranus arabice nondum esset vulgatus, quapropter loca haud poterant designari aliter, quam dictâ, unde singula sumta essent, Surâ: Mohammedani enim non distinguunt versus numerorum signis.

Disputatio in qua Mohammedis de Jesu Christo sententia expenditur, præside Sam. Werenfelsio, 25. Maji 1703. proposita ab auctore, Jo. Ludov. Frey. Basileæ. 4. plagg. 4 et quod excurrit.

Warneri opusculum haud cognitum habuit auctor, neque illud assecutus est. Sed et Marraccii editione caruit, Hinckelmanniana sola usus. Arabica sunt hebraicis litteris expressa.

De lotionibus Mohammedanorum, exercitatio prima, quam 17. Maji 1706 M. Christian. Ferdin. Jacobi. Lipsiæ. 4. pagg. 22.

Prima hæc exercitatio — auctoris hæc verba sunt — quatuor partibus absolvitur. Una titulum explicat; altera, quid ex ipsorum Mohammedanorum sententia Lotio sit, docet, tertia originem ostendit, quarta partim veras, quibus ad lavandum excitantur, causas enarrat, partim falsas amovet. Restat, ut agam de re, quam ad lavandum adhibent, de vasis, in quibus illam recondere par est, de variis lotionum generibus, de ritibus, quibus singula peraguntur, atque locis et temporibus ad lavandum accommodatis, et denique de iis, qui lotionibus indigent. — Altera Exercitatio nobis nunquam visa.

Christian. Bened. Michaelis de Muhammedismi laxitate morali disputatio. Halæ, 1708. 4.

Commemoratum alicubi deprehendimus hanc dissertationem, ipsam videre et cognoscere nobis haud contigit, etiam diligenter eam requirentibus.

Jo. Conr. Schwartz, in gymnasio Coburgensi prof. publ. de Mohammedi furto sententiarum Scripturæ Sacræ liber unus. in quo Mohammedana religio funditus evertitur. Lipsiæ, 1711. 8. pagg. 102.

Opusculum est VII capitum. 1. de natura furti Mohammedici. 2. de testibus plagû Moh. 3. de natura, ingenio, et persona Moh. 4. Furti Moh. nota est verborum quorundam convenientia cum stylo Scripturæ sacræ proprio. 5. de sententiis a Moh. ex vetere fœdere surreptis. 6. de dictis novo testamento subtractis. 7. de artibus, quibus furta sua Moh. occultare conatus est. — Loca Korani quæ recitantur omnia sunt latino sermone reddita.

Muhammed testis veritatis contra se ipsum, Turcis verax, qui mendacia admittat, Christianis mendax, qui veritatem dicat utrinque ex locis Alcorani utrisque demonstratus.



autore M. Matth. Georg. Schröder, fac. philos. assess. — Lipsiæ, 1718. 8. pagg. 134.

“Veritatem, inquit auctor pag. 4. ex Alcorano excerptum; quod præter hanc additum fuit omitemus, nisi quod quædam addenda sint, quibus veritati suæ, quam ipse proposuit, contradicit. Non tamen omnes allegabimus veritates, sed quæ cum nostris doctrinis vel articulis fidei conveniunt — Majorem argumenti mei propositionem concessam habeo, quod ille liber non sit divinus, qui contradictiones manifestas admittat. Minorem, quod Alcoranus talis liber sit, sigillatim per articulos Christianæ religionis eundo probabo.” —

Jo. Christiani Clodii, Prof. Lipsiensis, Epistola ad Lœscherum, de nominibus Jesu Christi et Mariæ arabicis. Lipsiæ. 1729. 4.

Argumentum scripti nunc infrequentis referunt Acta Eruditorum ann. 1730. pag. 418. illustrantur Korani loca III. 40 sqq. IV. 169. IX. 31. XIX. 27. LXVI. 13.

De nominibus et cognominibus Dei nonnullis Arabicis commentatio, auctore Jo. Christiano Krugero, A. M. et ad D. Paulli ædem conc. vespert. Lipsiæ, 1759. 4. pagg. 24.

Sunt, præter alia complura, nomina Dei 99. quæ Mohammedanis dici solent *الاسماء الحسنی*, nomina pulcherrima s. præstantissima. Ea recitavit non modo, quem Krügerus nominavit, Marraccius ad Sur. XVII. 9. pag. 114. sed et multo ante, quod illum effugit, Hottinger, Histor. Oriental. edit. II. Tiguri 1660. pag. 387 sqq. Jstorum nominum, non omnia quidem, sed delectu facto tamen permulta in hoc schediasmate declarantur observationibus grammaticis, iisque appositis et cum judicio selectis.

Dissertatio historico critica de Fato Muhammedano,

quam — — Jo. Christ. Krüger, Lipsiensis, A. M. Lipsiæ, 1759. 4. pagg. 40.

Multa in Corano, auctoris verba sunt pag. 4., quæ fatum inculcant, dicta legimus, sed ea in formam systematis nemo, quantum scio, redegit. Ejusmodi vero laborem necessarium esse arbitratus sum, quia quælibet doctrina ex ipso fonte eruenda est, nec ullo alio modo veram ejus naturam intelligere possumus. Perlegi itaque Coranum, eaque, ubi de decreto divino et, quod inde ortum esse dicitur, fato nonnulla memorantur ac docentur, loca diligenter notavi, alios tam Muhammedanorum quam Christianorum libros in auxilium vocavi, et sententias sectarum præcipuarum collegi, unde brevem hanc et systematicam concinnavi historiam." §. XVIII. ubi de fato Mohammedis circa vitam et mortem agitur, poterat quoque commemorari dissertatio qua de vitæ termino, utrum fixus sit, an mobilis, disquiritur ex Arabum et Persarum Scriptis, a Levino Warnero. Amsterdami 1642. 8. pagg. 24. Si quis Germanorum, Krügerus certe par erat Korano latine reddendo et justa ratione declarando. Conf. quæ de eo refert Reiske, Lebensbeschreibung, pag. 126.

Mochammads Lehre von Gott, aus dem Kor'aân gezogen von Aug. Wilh. Haller. Altenburg, 1779. 8. pagg. 20 et 516. Vid. Allgem. deutsche Biblioth. XLII. B. pag. 178. Parum judiciose videtur auctor in penso hoc tractando versatus esse. Alia, quæ se editurum professus est, super eodem argumento volumina lucem non viderunt.

Was hielt Mohammed von der christlichen Religion und ihrem Stifter? Aus der Urkunde beantwortet von M. Georg Lorenz Bauer. Nürnberg, 1782. 8. pagg. 94.

Commemoratur, Mohammed quid statuerit 1. de Jesu Christo, 2. de libris sacris Christianorum, 3. quænam com-

munia cum his dogmata commendaverit, 4. de Christianis ipsis quid statuerit. Vid. modo dicta Bibliotheca, LVI. B. pag. 91.

Mohammeds Dogmatik und Moral, oder Auszüge aus dem Koran. 1791. 8. pagg. 44.

Ex versionibus magis quam ex ipso sermone arabico petitum esse videtur hoc quaecunque compendium Korani.

Türkischer Catechismus der Muhammedanischen Religion, nach dem arabischen Original übersetzt von C. H. Ziegler mit erklärenden Zusätzen vermehrt. Hamburg und Leipzig. 1792. 8. pagg. 172.

Summa hæc doctrinæ Moslemicæ, Turcis Birghilu Resale dicta, scripta fertur intra annos 1136 et 1160 Chr. et permagnam apud Moslemos auctoritatem obtinere. Qui versionem vulgavit, additis suis observationibus, iisque copiosis, bene versatus esse videtur in rebus Moslemicis, at usus passim est jocis lusibusque plane alienis ab argumenti gravitate.

Christologiæ Koranicæ lineamenta. dissertatio philologico theologica, auctore Jo. Chr. Guil. Augusti. Jenæ 1799. 8. pagg. 32.

Enumerantur loca Korani, latine reddita, singula, quæ ad Christum spectant, notisque nonnullis illustrantur. Aliorum, qui antehac idem argumentum tractarunt, scripta non consuluisse, ne cognita quidem habuisse videtur auctor. Vernacula lingua hæc dissertatio edita est in Apologieen und Parallelen theologischen Inhalts, von Augusti. 1800. 8.

Vindiciarum Coranicarum periculum. Dissertatio academica auctore Jo. Chr. Guil. Augusti, linguarum oriental. in academia Jenensi prof. publ. ord. Jenæ, 1803. pagg. 56.

Agitur 1. de fide Corani historica. 2. de Abrogato et de Abrogante, pag. 16. 3. de principio morali in Corano proposito, pag. 44. Hæc dissertatio præstantior alterâ.

Commemorandæ etiam sunt commentationes duæ, haud seorsim editæ, altera Imman. Bergeri, über die Moral des Koran und ihr Verhältniss zu der Sittenlehre des Christenthums, vid. Beyträge zur Philosophie und Geschichte der Religion und Sittenlehre, von C. F. Stæudlin. V B. 1799. pag. 250—298. altera A. Th. Hartmanni, über einzelne Theile des Mahomedanischen Religions Gesezbuches, vid. Neues Magazin für Religions Philosophie, Exegese und KirchenGeschichte, von Hencke. VI B. 2 St. pag. 290.

Animadversiones philologicæ in nonnulla Corani loca. Accedunt illustrationes in Vetus Testamentum ex Arabismo, nec non Persismo depromptæ. Pro specimine edidit R. Antonius Vieyra, LL. B. ac linguarum Hisp. et Ital. prof. regius in Collegio SS. ac Indiv. Trinit. Dublin. 4.

Librum, nobis nunquam visum, cognitum habemus non nisi ex relatione in Critical Review, ann. 1786. III. pag. 198 sqq. quæ licet laudantis magis sit quam reprobantis, efficit tamen, ut persuasum habeamus, vix quidquam boni fructus redundare ex hoc opere, quod nihil facit ad illustranda loca Korani, sed totum versatur in captandis fingendisque vocum per varias linguas affinitatibus. Quale fere illud est ejusdem auctoris, cujus mentio facta Biblioth. Arab. P. IV. num. 125. pag. 35. Lubet tamen recitare specimen, neque illud de pessimo genere. “Cap. VII. Com. 41. *Camelus per foramen acus*. Verendum potius puto: *rudens per foramen acus*. Arabica vox, quam Maraccius vertit *camelus* est ambigua, potestque *camelum* aut *rudentem* significare, pro diversitate vocalium. Nam cum prima phatata, ac secunda giesmata, est *Camelus*,

sed cum prima dammata ac secunda phatata, est *rudens*. Porro ex hac Arab. posteriore voce oriuntur

Hisp. Gumena	} Rudens.
Ital. Gomena	
Gall. Gomeine	

De Rudente porro hic agi, non vero de Camelo, suadet analogia major inter rudentem et filum, quod solet per foramen acus induci. Unde est, quod *Alcamus* explicat hanc vocem hic per *rudentem navis*. Furtum sunt hæc verba, ait Marraccius, ex Matth. XIX. Verum meminisse oportebat vocem *Camilon* in Evangelio Matth. exponi per *crassum rudentem, quo nautae utuntur ad jaciendas anchoras* apud Theophylactum, Euthym. et Phavorinum. Frustra interim suspicatur *Drusius*, eos non scripsisse *Camilon*, sed *Cabilon*, ut Græca vox conveniat cum Belgica *Cabel*. Nam opus non erat græcam vocem cudere, unde Belgica oriretur, cum Hebræi, Arabes, etc. funem nauticum *chebel* vel *chabal* vocent, ex qua voce primitiva oriuntur

Belg. Cabel	} Rudens."
Angl. Cable	
Hisp. Cable	
Lusit. Calabre	

L'Histoire de l'Alcoran, où l'on decouvre le système politique et religieux du faux prophète, et les sources où il a puisé sa législation, par Mr. Turpin. à Londres, et se trouve à Paris. 1775. Voll. 2. 8.

Nullius fructus et nullius pretii opus esse statuit Michaelis, Oriental. und Exeget. Bibliothek. P. IX. pag. 92. sq.

Jo. Esberg Historia Alcorani et fraudum Muhamedis. Upsaliae. 1691. 8.

Præter inscriptionem non est quod referamus de hoc scripto, quod disputationis academicæ formam habere opinamur.

Testa-

Testamentum seu pactum Mohammedis

quæ spectant, occupavit et accurate tractavit vir celeberr. Th. Chr. Tychsen in commentatione, qua disquiritur, quatenus Muhammedes aliarum religionum sectatores toleraverit, cum examine libellorum, qui sub Testamenti sive Pacti Muhammedis cum Christianis nomine circumferuntur, recitata d. XXIV. Octobr. A. MDCCCI. et edita in Commentationibus Societatis regiae scientiarum Gottingensis, Vol. XV. Göttingæ, 1804. pag. 152 — 184.

Tres exstant editiones arabico-latinæ.

1. — — **العهد والشروط** Testamentum et pactiones inter Mohammedem et Christianæ fidei cultores. Parisiis, excudebat Antonius Vitray, linguarum orientalium, Regis typographus. in collegio Longobardorum. 1630. 4. Arabicus textus, a figuris vocalium nudus, comprehenditur pagg. 16. et totidem versio latina, facta a Gabriele Sionita.
2. — — **العهد والشروط** Testamentum, inter Muhamedem legatum Dei, et christianæ religionis populos olim initum. Cujus textus authenticus hic noviter recusus — — opera et studio Jo. Georgii Nisselii. Lugd. Bat. 1655. 4. maj. pagg. 16. Textus arabicus habet addita vocalium signa, et latinam versionem e regione positam. Alia exempla breviorum inscriptionem præ se ferunt et annum 1661. sunt vero hæc certissime ejusdem editionis.
3. Testamentum et pactiones initæ inter Muhammedem et christianæ fidei cultores, arabice et latine, excudebat Hamburgi Henningus Brendeke, anno MDCXC. 4. pagg. 34. cum præfatione Abrah. Hinckelmanni. vid. Nachrichten von

F



einer Hallischen Bibliothek. IV. B. pag. 479. Textus arabicus, vacuus a signis vocalium, typis illis expressus, qui parati tum essent ad editionem Korani.

Latina Gabr. Sionitæ versio seorsim excusa est: Muhammedis Testamentum sive Pacta cum Christianis in Oriente inita. Quibus accessit Theodori Bibliandri viri suo tempore magni nominis Apologia pro editione Alcorani. — publicæ luci exposita a M. Joh. Fabricio Dantiscano. Rostochii 1638. 4. pagg. 47.

Exstat opusculum, inscriptum: R. Abrahami ben Dior זכרון דברי רוסי seu Commemoratio rerum Romanarum ab U. C. usque ad tempora Muchammedis. Latinitate donavit et notis historicis quibus vel corrigitur, vel illustratur Auctor, instruxit et amplificavit Andr. Christoph. Zeller, Mulifontanus. 1724. Stuttgardiaë. 8. Editor, facta Testamenti mentione, pag. 155. "Fateor, inquit, me nullam editionem vidisse, aut manibus trivisse; sed adest mihi idem illud ad manus, latine sed manu tantum scriptum, quod M. J. J. Reusch, Constantinopoli redux, anno 1659. cum quodam communicavit, quodque ego ex codice quodam MNS. descripsi. Non piget igitur, in tuam gratiam, B. L. illud hic addere, quia, sive convenient hæc cum impressis, sive ab illis differant, paucorum tamen in manibus ipsum Testamentum versatur." Et sequitur pag. 156 — 162 Testamentum, latine. Sed hæc latina versio alia non est nisi illa ipsa, quæ Parisiis facta et edita est a Gabriele Sionita.

Ex hac ipsa quoque profecta est Germanica, seorsim edita. Des grossen Propheten und Apostels Mohammeds Testament; Das ist, Friedens - Artickul, welche er selbst, mit den Christen, sowohl in Geistlichen als Weltlichen Sachen auffgerichtet, die nachmals in Arabischer Sprache, gleich dem Alcoran,

als dessen Anhang, beschrieben, und von beyderley Zeugen unterschrieben worden. Samt einer Zugabe, von der Christen und Juden Zustand, nachdem der Türkische Glaub seinen Anfang genommen. — 1664. 4. foll. 12.

Quod reliquum est, non genuinum sed spurium fictumque esse hoc Testamentum, rationibus et pluribus et certis demonstravit celeb. Tychsen. Quibus videtur nobis accedere posse etiam hæc. In eorum numero, quorum subscripta conspiciuntur nomina, primo loco positus est أبو بكر الصديق, AbuBecr Assadik. Hæc appellatio, sive sit صديق, amicus, sive, quod grammatici arabes præcipiunt صَدِّيقٌ, testis, qui alterius dictis suo testimonio fidem facit, (vid. Gagnier, ad Abulfedam de vita et rebus gestis Mohammedis, pag. 18. nota b. et Reiske, in Adnotationibus historicis ad Abulfedam, Tom. I. pag. 39. not. 83.) ita comparata, ut parum credibile sit, eam ab ipso Abubecro, atque adeo jam quarto Hegiræ anno, nomini adjectam, et tanquam solemnem sibique peculiarem fuisse usurpatam.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.











D: De 50

sb

ULB Halle

3/1

000 867 101



